

ipsi constitutioni totius, quale est in rebus materialibus materia signata, seu de signata quantitate. Et ubicumque D. Thomas negat suppositum distingui realiter in Angelis loquitur de supposito non pro sola ipsa formali terminatione subsistentiæ, sed etiam radicaliter pro ipsa subsistentia, ut originata, et radicaliter in ipsis principiis individuantibus. Nec repugnat, quod ex aliqua natura, quæ est forma simplex, et non actus purus, sed includens aliquam potentialitatem, et consequenter habet dependentiam ab extrinseco, et ordinem ad accidentia, resultet modus aliquis distinctus a natura, quo reddatur subsistens terminative et formaliter, et licet careat materia physica non tamen careat potentialitate, quæ loco materiæ est in natura angelica, et sic semper verificatur, quod individuatio, seu suppositum desumitur a materia, vel ab aliquo loco materiæ scilicet ab ipsa natura, ut potentiali, id est, ut habilitatem fundans ad recipiendum, et standum. Testatur autem D. Thomas, in I, dist. xxxiv, quæst. I, articulo I: « Quod in illis in quibus est aliud essentia, quam suppositum, et hypostasis oportet, quod sit aliquid materiale per quod natura communis individuatur, et determinetur ad hoc singulare unde determinationem materiæ, vel alicujus, quod loco materiæ se habet, addit in creaturis hypostasis supra essentiam, et naturam. Unde non omnino ista in creaturis idem sunt. » Ubi cum s. doctor fateatur sufficere, non solum per materiam determinati naturam ad hypostasim, seu subsistentiam, sed etiam per aliquid, quod loco materiæ se habet, manifeste ponit in Angelis sufficiens principium ad distinguendum suppositum a natura; licet illud, quod loco materiæ se habet ad individuandum non dis-

tinguatur ab ipsa formâ, et natura.

XXXVII. Ad loca allata ex III contra gentes et quæst. VII de pot. respondetur, quod in illo loco contra gentes si D. Thomas sentiret non distingui omnino ipsam subsistentiam in Angelo, ut posset assumi, non diceret esse convenientius, quod assumeretur natura humana præ angelica, sed quod oppositum esset impossibile, scilicet angelicam assumere, non autem hoc dicit, sed solum, quod illud fuit convenientius ergo supponebat utrumque esse possibile, sicut de facto id asserit locis supra citatis præsertim III p. quæst. IV, articulo I ad III. Itaque solum affert majorem convenientiam ex parte naturæ humanæ, quia in ea distinguitur suppositum a natura etiam radicaliter, et in suo principio et ita convenientior apparet assumptio, ubi est major distinctio, saltem ex parte radicis, et principii, et sic tam in isto loco, quam in alio citato ex quæstione VII de potentia, et in quibuscumque aliis locis, ubi negat distinctionem inter suppositum, et naturam in rebus immaterialibus, loquitur de supposito radicaliter, et non solum formaliter, id est, prout ex parte principii individuationis se tenet, sicut si diceremus, quod passiones radicaliter sumptæ non distinguuntur a natura, bene tamen formaliter.

#### ARTICULUS II.

*An subsistentia sit indivisibilis, et non composita, et susceptiva existentiae.*

De istius difficultatibus egimus in quæstione VII physicorum. Ut autem breviter de illis agamus, prius ostendemus subsistentiam esse rationem suscipiendi existentiam, deinde de ejus indivisibilitate per

modum termini, quæ convenit omnibus subsistentiis agemus.

I. Igitur, quod subsistentia sit ratio suscipiendi existentiam, et ita quod prius conveniat naturæ, quam ejus existentia, indubitabile est in sententia D. Thomæ distinguentis existentiam ab essentia, et attribuentis illam supposito, tamquam existenti ut quod, ita quod subsistentia sit terminus naturæ primo, et per se, et antecederet ad existentiam. Quod ex duobus constare potest. Primo, quia subsistentia ex ipsa sua formali ratione intimior est naturæ, quam existentia, nam subsistentia causatur ex ipsa totalitate, seu incommunicabilitate, tamquam pertinens ad complementum ipsius substantiæ, et sic non est prædicatum ita contingens sicut existentia, quia existentia totaliter provenit ab extra scilicet ex ipsa actione agentis, ita quod ratio conveniendi est ipsa actio, quæ ponit rem extra causas, subsistentia vero habet fundamentum, et rationem conveniendi in ipsa natura, licet ut sit actu extra causas petat actionem agentis, nam substantia de se petit compleri complemento subsistentiæ, cum ex sua natura sit ens per se existens. Unde magis intrinsece, et per se, et per prius convenit ei subsistentia, quam quælibet passio, quæ est accidens, si quidem subsistentia non est in alio prædicamento a substantia, sed ad illud reducitur tamquam complementum, et modus ejus, prius autem est, et magis intimum substantiæ compleri in sua entitate substantiali quantum ad modum per se subsistendi, quam ipsis accidentibus, quæ sunt propriæ passiones adornari, et affici in ordine ad operandum, vel ad alia accidentalia officia, et tamen majorem connexionem habet substantia cum propriis passionibus, quam cum existentia, quia cum propriis passionibus

fundat connexionem necessariam, et æternæ veritatis; cum existentia autem non potest fundare talem connexionem, ergo si subsistentia prius, et intimius convenit, quam propriæ passiones, a fortiori prius, et intimius conveniet, quam existentia. Nec obstat, quod subsistentia potest removeri a natura, passiones autem non. Nam contra est, quia etiam propriæ passiones possunt separari, quantum ad actualem convenientiam licet semper, et necessario conveniant naturæ quantum ad aptitudinem, et eodem modo propria subsistentia licet actu non conveniat humanitati Christi, habent tamen intrinsecam aptitudinem ad illam. Et sicut in quantitate prius intelligitur terminatio per indivisibile unde resultat figura, quam inhærentia actualis, manet enim in eucharistia quantitas terminata, et non inhærens, ita in substantia prius est esse terminatam per propriam subsistentiam, quam actu existentem. Itaque subsistentia immediate resultat ex ipsa unione partium in quantum constituunt totum, et ex ipsa individuatione substantiæ, quatenus substantialis est, quia ejus complementum, et terminus est; existentia autem non resultat ex ipsa intrinseca ratione substantiæ, vel individuatione illius, sed solum ex actione agentis, quia existentia constituit rem in facto esse extra causas, ergo ratio conveniendi magis intima est in subsistentia, quam in existentia, ut dictum est.

II. Secundo, hoc desumitur ex D. Thoma qui perpetuo docet existentiam non convenire naturæ, nisi medio supposito, ita quod licet natura sit principium quo, tamen non redditur capax recipiendi existentiam ut quod nisi sit suppositata, ut videri potest apud Div. Thomam quodlib. IX, art. III, et III part. quæst.

xvii, art. ii et in iii ad Annibaldum, distinctione vi, quæstione unica, art. ii ad secundum, ubi inquit : « Quod proprie, nec partes, nec accidentia habent esse, sed tantum suppositum completum, » et supra dixerat : « Quod esse aliquando est rationis, aliquando naturæ, et quod esse naturæ dicitur dupliciter, aliquando dicit actum primum, qui est rei essentia, quæ est actualiter essendi principium aliquando dicit actum secundum, qui est actus entis per essentiam, sicut lucere est actus lucentis per ipsam lucem. Et primo modo dicitur esse de propositionibus, secundo modo de naturis, tertio modo de naturarum suppositis, quia est actus suppositi ut quod est, formæ vero ut quo est. » Sic ergo cum existentia sicut, et quodlibet aliud prædicatum accidentale necessario exigat subjectum, quod et non solum subjectum quo, sed *substantivum, et susceptivum istarum formarum, et denominatum ab ipsis, et respectu existentia* specialiter habet rationem subjecti, quia suppositum est id, quod directe fit per productionem, si quidem productio terminatur ad totum, et integrum, nec ante sistit productio, quam totum, quod in aliqua re est producendum sit productum, existentia autem convenit ratione productionis, quia per eam ponitur res extra causas in facto esse. Ergo illud est directe subjectum productionis, seu productum per illam. Et præterea, quia producens, seu generans substantiam intendit producere sibi simile, et propagare suam speciem, quod non fit nisi producendo integrum, et completum individuum, in quo similitudo naturæ salvatur, non enim qui producit manum, vel pedem dicitur propagare naturam, sed qui producit personam, seu suppositum, quasi alterum se. Est ergo suppositum pro-

prie, et directe terminus productus, et consequenter proprie, et per se susceptivum existentia, quia proprie, et per se est id quod fit, et consequenter id quod factum est, existentia autem est id quod aliquid est in facto esse.

III. Sed objicies : Existentia, et natura immediate inter se uniuntur, et faciunt compositum, quod dicitur existens, si quidem non possunt uniri existentia, et natura in illo tertio subsistente nisi uniantur inter se tamquam extrema talis unionis. Tunc ergo quando uniri intelliguntur inter se prius ipsa natura afficitur existentia, quam subsistentia, et sic subsistentia supervenit rei existenti, ipsamque existentiam potest terminare, et modificare. Confirmatur, quia substantia constituitur existens per se, non autem natura per se, diffinitur enim, quod sit per se existens, constituitur autem per se mediante subsistentia, ergo immediate, et per se afficit existentiam non naturam, si quidem reddit naturam existentem per se, ergo prius supponitur existentia in natura, quam subsistentia, si quidem redditur existens per se. Secundo, quia saltem divinitus potest natura prius constitui existens, quam subsistens. Ergo subsistentia non est ratio formalis suscipiendi existentiam, sed ad summum conditio quædam, et sic formaliter prius subsistentia afficit existentiam, quam naturam. Patet consequentia, quia si non est essentialis ordo inter subsistentiam, et existentiam non est ratio, nec fundamentum cur dicamus subsistentiam esse terminum naturæ, et non existentia, ex eo quod nondum supponit illam, si quidem non est implicatio, quod supponat, si Deus existentiam prius tribuat naturæ quam subsistentiam. Plura videri possunt, quæstione vii physicorum, art. i.

IV. Respondetur quod sicut dicit Divus Thomas in iii ad Annibaldum, dist. v, quæstione unica, articulo ii ad i : « Uniri dupliciter dicitur, vel unum fieri, vel in uno fieri, » et hoc explicat exemplo unionis naturæ humanæ, et divinæ, quæ uniuntur non quia fiant unum, sed quia fiunt in uno, id est, in uno supposito, in quo communicant. Unde hanc doctrinam extendimus ad omnia illa quæ ita uniuntur, ut inconfusa, et impermixta permaneant et sic accidentia, et subjectum inter se uniuntur, quia conveniunt in uno subjecto, seu supposito, et similiter existentia, et natura non sic uniuntur quasi fiant unum, ita quod existentia sit natura, et natura existentia, vel quasi misceantur in uno tertio, sed uniuntur in uno, id est, in supposito. Unde non prius intelliguntur uniri inter se, quam in illo uno, in quo conjunguntur. Et sic non solum unitur existentia immediate ipsi supposito, ut subjecte denominationis, sed etiam unitur ipsi supposito, ut immediate susceptivo existentia, et tamquam ei, quod est ratio recipiendi talem unionem, et constituendi unitatem ex illa resultantem; cum non solum fit unio in uno non unio qua fiant unum, non potest intelligi talis unio, nisi interveniente supposito tamquam eo, in quod fit unio, quia illa unio est in uno, id est, in supposito. Unde non debemus philosophari de unione naturæ, et existentia, et unione naturæ, et accidentium sicut de unione materiæ, et formæ (ut aliqui volunt) quæ prius uniuntur inter se tamquam partes, quam in toto, quod ex illis resultat. Cæterum hæc doctrina currit in illis partibus, seu extremis, quæ sic uniuntur, ut faciant unam naturam, seu fiant unum, non autem si solum uniantur in uno, manendo inter se inconfusa, et impermixta, materia autem, et for-

ma sic uniuntur, quod constituunt unum, et sic non mediante ipso toto uniuntur, sed immediate inter se, ut ex illis resultat totum. Accidentia autem, et existentia non comparantur cum natura tamquam partes, quæ constituunt unum, sed tamquam extrema, quæ uniuntur in uno, quia inconfusa, et impermixta permanent.

V. Ad primam confirmationem respondetur, quod subsistentia non reddit existentiam per se actuando, et superveniendo illi, sed supponendo se illi, quia scilicet naturam ipsam complet, et immediate illi advenit terminando illam, et terminatio ista subsistendi est terminatio singularitatis, quæ pertinet ad tertium modum per se; singularitas autem, seu individuatio antecedit existentiam pertinetque ad complementum naturæ, et ita dicitur aliquid existens per se, quia sine communicatione sui, vel dependentia ab ulteriori termino petit existentiam, et sic existentia adveniando subjecto independenti, et incommunicabili, redditur subsistens, et per se, id est, non dependens, nec communicabilis, et ita non prius advenit subjecto, et postea supervenit illi incommunicabilitas, sed prius subjectum incommunicabile redditur, et tunc existentia adveniens redditur etiam per se. Et ratio est, quia ad ipsam existentiam formaliter solum pertinet reddere, et ponere rem extra causas, quod vero sit hujus, vel illius perfectionis totum provenit ex natura, seu subjecto cuius est existentia, sicut etiam ab ipsa habet speciem, et determinationem suam, et ita subsistentia per se terminat naturam, et illa terminata, existentia illi adveniens incommunicabilis redditur, et per se subsistens, id est, alteri non communicabilis.

VI. Ad secundam confirmationem

respondetur quod aliqui existimant subsistentiam se habere ut rationem formalem recipiendi existentiam, alii ut conditionem. Et primi dicunt non posse recipi existentiam nisi in supposito, sicut nec actus vitalis nisi in potentia vitali, neque gradus sensitivus nisi præcedat vegetativum. Et hoc ideo est, quia natura, et existentia uniuntur, non ut fiant unum, sed ut fiant in uno. Ergo necessario præexigit existentia ad sui unionem, et conjunctionem, quod præcedat subsistentia in natura ut fieri possit illa unio, ut in quo. Secundi vero dicunt, quod subsistentia solum se habet ut conditio ad existentiam, quæ quidem connaturaliter requiritur, sed non essentialiter. Et in hac sententia dicendum est posse Deum de potentia absoluta existentiam adungere naturæ ante subsistentiam, sed tunc non unietur connaturali modo, sicut potest existentiam conservare in accidenti sine inhærentia, et sic subsistentia erit, terminus naturæ connaturalis, sed non essentialis, seu essentialiter requisitus. In prima vero sententia, subsistentia est essentialiter requisita, ita ut sine illa substantia non fit capax existendi, eo quod non est capax unionis ad aliquid distinctum a se, nisi uno ex illis modis supradictis, vel quia fit unum, vel quia fit in uno, et sine subsistentia unio non potest fieri in uno, quia non datur aliquod tertium, in quo fiat illa unio, et sic solum fieret unum; hoc autem est impossibile fieri ex illis duobus extremis, quia sic debent uniri, ut maneant inconfusa, id est, nec misceantur in unum, quia mixtio fit ex corruptione miscibilium, quæ hic non intervenit, nec unam naturam constituunt, ut extrema, sed ut constituta terminetur.

VII. Quod si urgeas: Quomodo in accidenti separato unitur illi exis-

tentia, imo et alia accidentia uniuntur illi sicut calor, vel frigus, quantitati separatæ in eucharistia, et tamen non habet accidens separatum modum aliquem ratione cuius fiat unio talium accidentium, tamquam in quo uniantur, et fiant non unum, sed in uno, præsertim in nostra sententia, in qua non ponimus modum superadditum accidenti, ut separatum sit, ut diximus in libro de generat. q. VI, respondetur quod licet accidens ex separatione non acquirat aliquem modum positivum intrinsecum per se essendi, vel subsistendi, quia ex sua natura non petit sic esse, acquirit tamen modum aliquem negativum scilicet independentiam actualem a subiecto cum extrinseca sustentatione Dei, et hæc supplet modum subsistendi, relinquit enim illud accidens, si non subsistens per se; saltem sustentatum per se negative, id est, per ipsum Dei concursum positivum independens a subiecto in essendo. Et hoc sufficit, ut aliquid possit illi uniri inconfuse, et impermixte, tamquam in uno, et non solum ut unum, quia sine modo subsistendi intrinseco per solam negativam terminationem ex illo concursu positivo extrinseco factam, redditur sufficienter habile ad sustendum alia accidentia in esse, et consequenter inconfuse.

SUBSISTENTIA SEMPER EST INDIVISIBILIS.

VIII. In quæstione VII physicor. art. III ostendimus non dari in composito substantiali partiales subsistentias, quæ convenient partibus, et ex illis integretur una totalis subsistentia, eo quod rationi partis repugnat subsistentia actualiter, et formaliter, quia subsistentia est terminatio qua actu res terminatur in se, pars autem ut pars non terminatur in se, sed adjungitur toti, et terminatur in toto; imo si partes actualiter subsistunt in se subsisten-

tiis partialibus, cum sint infinitæ partes in potentia necesse est, vel actualiter multiplicare infinitas subsistentias, si quælibet pars quantumcumque divisibilis in infinitum suam propriam vindicat subsistentiam, et hoc est magnum inconveniens, vel solum ponendæ sunt finitæ subsistentiæ, ita quod una subsistentia conveniat determinatæ portioni partium, et tunc præterquam quod vix assignabile in quanta portione partium ponitur distincta subsistentia, inciditur in sententiam, quam intendimus, si quidem tota illa collectio, seu determinata portio comprehendit sub se plures partes, quas tamen unica subsistentia afficit non constans ex partialibus subsistentiis, alias si ex partialibus constaret, redit idem argumentum, an illæ partiales subsistentiæ sint infinitæ actu, vel finitæ, etc. Quare si unica subsistentia non constans ex partialibus subsistentiis sufficit pro una parte determinata sub qua plures aliæ continentur, cur etiam non sufficiet unica subsistentia in ipso toto, licet sub illo plures partes contineantur.

IX. Et ex hoc per evidentem consequentiam colligitur, quod si sufficit unica subsistentia non constans ex partialibus subsistentiis ad afficiendum aliquod totum, vel aliquam partem, sub qua plures aliæ partes continentur, talis subsistentia dicitur indivisibilis formaliter, id est, non composita, neque constans ex subsistentiis partialibus, licet virtualiter sit divisibilis, et ex parte effectus, quia perficit rem divisibilem, sed tamen quia modo indivisibili id facit, id est, per modum termini ultimi, et totalitatis ideo dicitur esse indivisibilis sicut in quæstione II de anima diximus animas perfectorum animalium esse indivisibiles, non quia effectum divisibilem non habeant perficiendo, et informando

partes divisibiles, sed quia omnes illas respiciunt modo indivisibili, id est, per modum unius integræ, et consummatæ dispositionis ad animam, quatenus requirit corpus organicum, et organicum sine pluribus partibus terminatis non invenitur. Eodem modo ratio termini ultimi, ex eo quia ultimum est indivisibile formaliter esse debet, alias ultimum non esset, licet respiciat in terminando plures partes divisibiles.

X. Et hæc est mens, et doctrina D. Thomæ qui perpetuo negat partiales subsistentias, ut citato loco ostendimus, et insuper videri potest in m ad Annibaldum, dist. V, quæstione unica, ubi inquit: « Quod ratio partis contrariatur rationi personæ, cum persona sit quid completum, et perfectum, et per se subsistens, ratio autem partis est ratio imperfecti, et ideo ei non convenit ratio personæ. » Et idem habet I part. q. XXIX, art. I ad II et art. II et IV contra gentes, c. XLIX ad X: « Neque partes, inquit, alicujus substantiæ sic dicuntur particulares substantiæ quasi sint per se subsistentes, sed subsistunt in toto, unde neque hypostases possunt dici, cum nulla earum sit subsistentia completa, alias sequeretur, quod in uno homine tot essent hypostases, quot sunt partes. » Nec potest dici, quod Div. Thomas negat partes substantiales habere hypostases, seu subsistentias completas, et totales non partiales. Nam contra est quia Div. Thomas loquitur de partibus, ut sunt unitæ in toto, quia loquitur de illis quæ subsistunt in toto, subsistentiæ autem totales separatæ, quarum quælibet constituit totum, nullo modo erat dubitabile, quod non conveniunt partibus, ut sunt in toto, quid enim diceret D. Thomas si solum diceret, quod partes non habent subsistentias totales, quod est